

ARTICULUS III.

Utrum aliquis peccet mortaliter cognoscens uxorem non intendens aliquod matrimonii bonum, sed solam delectationem.

Ad tertium sic proceditur. 1. Videtur quod quodcumque aliquis uxorem cognoscit non intendens aliquod matrimonii bonum, sed solam delectationem, mortaliter peccet. Quia Hieronymus dicit (in cap. 5 Epist. ad Ephes.), et habetur in littera: *Volutates quae de meretricum amplexibus capiuntur, in uxore damnandae sunt.* Sed non dicitur esse damnabile nisi peccatum mortale. Ergo cognoscere uxorem propter solam voluptatem, est peccatum mortale semper.

2. Praeterea, consensus in delectationem est peccatum mortale, ut in 2 lib. dist. 24, qu. 2, art. 4, in corp., dicitur est. Sed quicumque cognoscit uxorem suam causa delectationis, consentit in delectationem. Ergo mortaliter peccat.

3. Praeterea, quicumque usum creaturae non refert in Deum, creatura fruitur; quod est peccatum mortale. Sed quicumque uxore propter solam delectationem utitur, hunc usum non refert in Deum. Ergo mortaliter peccat.

4. Praeterea, nullus debet excommunicari nisi pro peccato mortali. Sed aliquis sola libidine uxorem cognoscens arectur ab introitu Ecclesiae, ut in littera dicitur, quasi sit excommunicatus. Ergo omnis talis peccat mortaliter.

Sed contra est, secundum Augustinum, quod talis concubitus ponitur inter peccata quotidiana, pro quibus dicitur *Pater noster*, ut habetur in littera. Sed talia non sunt peccata mortalia. Ergo etc.

Praeterea, qui cibo utitur propter delectationem tantum, non peccat mortaliter. Ergo pari ratione qui utitur uxore tantum causa libidinis.

Solutio. Respondeo dicendum, quod quidam dicunt quod quodcumque ad actum conjugalem libido principaliter movet, est peccatum mortale; sed quando movet ex latere, tunc est peccatum veniale; quando autem delectationem omnino respicit, et displicet ei; tunc est omnino absque veniali peccato: ut sic delectationem in actu illo quaerere, sit peccatum mortale; delectationem oblatam acceptare, sit peccatum veniale; sed eam odire, sit perfectionis. Sed hoc non potest esse: quia, secundum Philosophum in 10 Ethic. (cap. 5, vel 8), idem est iudicium de delectatione et operatione; quia operationis bonae est delectatio bona, et malae mala. Unde cum actus matrimonialis non sit per se malus; nec quaerere delectationem erit peccatum mortale semper. Et ideo dicendum, quod si delectatio quaeratur ultra honestatem matrimonii, ut scilicet quia aliquis in conjugum non attendat quod conjux est, sed solum quod mulier est, idem paratus facere cum ea etsi non esset conjux, est peccatum mortale; et talis dicitur ardentior amator uxoris, quia scilicet ardor ille extra bona matrimonii effertur. Si autem quaeratur delectatio infra limites matrimonii, ut scilicet talis delectatio in alia non

quaeretur quam in conjugio, sic est veniale peccatum.

Ad primum ergo dicendum, quod tunc voluptates meretriciae vir in uxore quaerit quando nihil aliud in ea attendit quam quod in meretrice attenderet.

Ad secundum dicendum, quod consensus in delectationem concubitus qui est mortale peccatum, est mortale peccatum; non autem talis est delectatio matrimonialis actus.

Ad tertium dicendum, quod quamvis delectationem non referat actu in Deum, tamen non ponit in ea ultimum voluntatis finem; alias eam ubique indifferenter quaereret; et ideo non oportet quod creatura fruatur, sed utitur creatura propter se; se autem habitualiter propter Deum, quamvis non actu.

Ad quartum dicendum, quod hoc non dicitur propter hoc quod ex hoc peccato homo excommunicationem mereatur; sed quia spiritualibus se reddit inhabilem, propter hoc quod in actu illo homo efficitur totus caro.

Expositio textus.

Solet quaeri, cum masculus et femina, nec ille maritus nec illa uxor alterius . . . pro incontinentia solus concubitus causa copulantur. De hoc in praecedenti dist. dicitur est, quoniam malus finis bonitatem matrimonii non tollit.

Qui vero venena sterilitatis procurant, non conjuges, sed fornicarii sunt. Hoc peccatum quamvis sit grave, et inter maleficia computandum, et contra naturam, quia etiam bestiae fetus expectant; tamen est minus quam homicidium; quia adhuc poterat alio modo impediri conceptus. Nec est iudicandus talis irregularis, nisi jam formato puerperio abortum procreat.

Semina paulatim formantur etc. De hoc habitum est in tertio, dist. 5.

Et postquam venter uxoris intumuit, non perdunt filios. Quamvis enim matrix post impregnationem claudatur; tamen ex delectatione, ut Avicenna dicit, movetur et aperitur; et ex hoc imminet periculum abortus; et ideo Hieronymus vituperat accessum viri ad uxorem impregnatam; non tamen ita quod semper sit peccatum mortale; nisi forte quando probabiliter timetur de periculo abortus.

Nec immutetur in eum usum qui est contra naturam. Usus contra naturam conjugis est, quando debitum vas praetermittit, vel debitum modum a natura institutum quantum ad situm; et in primo semper est peccatum mortale, quia proles sequi non potest, unde totaliter intentio naturae frustratur; sed in secundo modo non semper est peccatum mortale, ut quidam dicunt, sed potest esse signum mortalis concupiscentiae; quandoque etiam sine peccato esse potest, quando dispositio corporis alium modum non patitur; alias tanto est gravius, quanto magis a naturali modo receditur.

DISTINCTIO XXXII.

De solutione carnalis debiti.

Sciendum etiam est, quod cum in omnibus aliis vir praesit mulieri, ut caput corpori (et enim vir caput mulieris), in solvendo tamen carnis debito pares sunt. Ideo Apostolus utriusque pariter praecipit in hac causa sibi invicem subijci, inquit (1 Corinth. 7, 5): *Vir debitu reddat uxori; sicut miles et uxor viro; quia mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir; similiter et vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier; quia nec mulier ad alium virum, nec vir ad aliam mulierem potestatem sui corporis habet; nec vir ad continentem nec mulier potestatem habet sine mutuo consensu; sed alter alterius potestatem habet corporis, ut possenti alteri non liceat alteri negare debitum.* In hoc enim pares sunt: quia nec viri nec mulieri corpus suum licet alii tradere, sed sibi invicem debitores sunt in hac causa, ne peccandi detur occasio; per quod non dominium tollitur viro, sed vitium. Debent enim sibi conjugati non solum ipsius sexus sui committendi fidem liberorum procreandorum causa, quae prima est in ista mortalitate societas; verum etiam infirmitatis invicem expiendae, ad illicitos concubitus devitandos, matum quodammodo servituti; ut etsi alteri eorum continentia placeat, nisi ex alterius consensu non possit; ad hoc enim neuter habet potestatem sui corporis: quod adeo verum est; ut etiam quod non filiorum procreandorum, sed infirmitatis et incontinentiae causa expellit, vel ille de matrimonio, vel illa (1), non sibi alterum negent, ne per hoc incidant in damnabiles corruptelas. Reddere enim debitum conjugale nullus est criminis; exigere autem ultra generandi necessitatem, culpae est venialis; fornicari vero vel moechari, peccatum est criminis. (Ex Augustino, de bono conjugali, cap. 6 et 7.)

Quod neuter continere valeat nisi ex communi consensu.

Quod vero sine consensu uxoris vir continere non valeat, subdit probatur testimonio. Ait enim Augustinus (super Psalmum 146, et habetur in Decr. causa 55, quaest. 4, cap. a Si dicit): *a Si dicit vir, Continere jam volo, Nolo autem, uxor; non (2) potest; quod enim tu vis, illa non vult. Numquid pro continentiam tuam illa debet fieri fornicaria? Si alii invidet te vivo, adultera erit. Non vult tibi lucere Deus tale damnum compensari. Redde debitum; et si non exigit, redde pro sanctificatione perfecta Deus tibi computabit, si non quod tibi debetur exigit, sed redde dis quod debes (3) uxori.* Idem (epist. 199, ad Ecolitium, et refertur in Decretis, causa 55, quaest. 3, cap. a Secundum verba): *a Secundum verba apostolica, etiamsi vir continere voluisset, et tu noluisset, debitum tibi reddere cogere; et illi Deus imputaret continentiam, si non suae, sed tuae concederet infirmitati, ne in adulterium caderes.* (Et in Psal. 147): *a Quisquis ergo compatiens infirmitati uxoris reddidit, non exigit debitum, aut si propter propriam infirmitatem ducit uxorem, plangens potius quia sine uxore esse non potuit, quam gaudens quia duxit, securus expectat diem novissimum.* Idem (epist. 46): *a Una sola causa esse potest quae te ad id quod voluisti, non modo (4) non horretum, sed etiam prohibere; si forte tua concupiscentia sit; iux hoc teum suscipere animi vel carnis infirmitatem recusat. Nam vovenda talia non sunt a conjugatis, nisi ex consensu et voluntate communi; et si praepropere factum fuerit, magis est corrigenda temeritas quam persolvenda promissio. Non enim Deus exigit, si quis ex alieno aliquid voverit, sed potius usurpare vetat alienum.* Idem (lib. de adulterinis conjugis, cap. 2): *a Apostolus nec ad tempus ut vacent orationi, nisi ex consensu, voluit conjugem carnali invicem fraudari debito.* Idem (in quaest. super lib. Numeri, cap. 39): *a Manifestum est ita voluisse legem, feminam sub viro esse, ut nulla ejus vota quoque abstinence causa voverit, residerit ab eo, nisi auctor fuerit vir permittendo.* Nam cum ad peccatum ejusdem viri pertinere voluerit lex, si prius permisisset, et postea prohibuerit, non tamen dixit ut faciat mulier quod voverat, quia permissa jam prius a viro fuerat. Viri dixit esse peccatum, quia (5) abnuu quod prius

concesserat; non tamen mulieri ex hoc iussum (1) dedit ut cum prius vir ei concesserat, postea, si prohibuerit, continetur. Ex his apparet quod vir vel mulier continentiam Deo offerre non potest sine communi consensu, nec alteri debitu negare debet. Si vero quilibet eorum alterum a suo iure absolverit, ad praetrium servitatem nunquid revocare poterit? Hoc enim videtur Augustinus supra voluisse. Quibusdam videtur quod mulier non discendes a domo viro, quae viro permittente continentiam voverit vel promiserit, eodem prohibente solvere non valeat, et hoc propter dignitatem viri, qui est caput mulieris. Sed melius hoc intelligitur in tali casu, ubi vir concedit mulieri vovere continentiam, et ante votum prohibet implere. Si vero habitum mutaverit, non potest revocari, secundum illud (2) (Decret. causa 55, quaest. 3, cap. a Qui uxorem): *a Qui uxorem suam velle permissa serit, aliam non accipiat, sed similiter convertitur.*

Quibus temporibus cessandum sit a coitu.

Et licet debitum possenti sit semper solvendum; non licet tamen quilibet die posere. Unde Augustinus (alios Augustinus in lib. Quaest. novi et vet. test., cap. 127): *a Christiano enim, uxore sua aliquando licet convenire, aliquando non. Propter processiones enim dies et jejuniarum, aliquando non licet convenire; quia etiam a licitis abstinendum est, ut facilius impetrari possit quod postulatur.* Idem (serm. 2 de temp.): *a Quoties enim vel dies Nativitatis vel reliquae festivitatis advenerint, non solum a conebinarum consortio (5), sed etiam a propriis uxoris abstinete.* Item Anselmus (Ambrosiaster in 1 Corinth., cap. 7): *a Si causa procreandorum filiorum ducatur uxore, non multum tempus cessum videatur ad ipsam usum; quia et dies festi et legem processiones, et ipsa ratio conceptus et partus iuxta legem cessare usum carnis his debere temporibus demonstrant.*

Hieronymus videtur dissentire a praemissis.

Ille autem quod dictum est, reddere debitum non esse peccatum, videtur obviare quod ait Hieronymus (4): *a Quicumque uxori debitum reddidit, vaece non potest orationi; nec carnes agni edere.* Item (ibid.): *a Si panes propositionis ab his qui uxores suas tegerant, comedi non poterant; quanto magis panis qui de caelo descendit, non potest ab his qui conjugibus paulo ante haesere complexibus, violari atque contingi? Non quod nuptias condemnemus; sed quod eo tempore quo canes agni manducatur sumus; vacare a carnalibus operibus debeamus.* Hoc capitulum maxime ad ministros Ecclesiae pertinere videtur, quibus non licebat sacra officia celebrare atque mysteria tempore conjugalis amplexus, quo etiam praesentia Spiritus sancti non datur. Unde idem ait (3) (super Matth.): *a Conubia legitime earent quod dem peccato; nec tamen tempore illo quo conjugales actus geruntur, praesentia Spiritus sancti datur, etiamsi Actus phela esse videatur qui officio generationis obsequitur.*

Quibus temporibus non sunt celebrandae nuptiae.

Nec solum in opere carnali observanda sunt tempora, sed etiam in celebrandis nuptiis, secundum illud (quod refertur in Decretis causa 55, quaest. 4, cap. a Non oportet) ex Concilio Hierdonsi: *a Non oportet a septuagesima usque in octavam Paschae, et tribus hebdomadibus ante festum sancti Joannis, et ab adventu Domini usque post Epiphaniam celebrare nuptias. Quod si factum fuerit, separantur.* Item Nicolaus Papa (6): *a Nec uxorem ducere, nec conjugia facere quadragesimali tempore, convenire posse ullo modo arbitratur.*

(1) Nicolai permissum.

(2) Idem: canonice statutum ex Concilio Rhemensi relatum in Decretis causa 59, quaest. 3, cap. Qui uxorem.

(3) Nicolai: ab infelicis conebinarum consortio.

(4) In Vigilia Paschae de usu agni. Sic in Decretis causa 55, quaest. 4, cap. Scitis praenotatur. Sed Hieronymi opus non est (Ex edit. P. Nicolai).

(5) Ex illo quidem in Decretis refertur ubi supra, cap. Conubia; sed Origenis potius est hom. 6 in Numeros, ut ibidem additur (Ex edit. P. Nicolai).

(6) Primus ad consulta Bulgarorum cap. 4 et 8, et refertur in Decretis ubi supra cap. Nec uxorem (Ex edit. P. Nicolai).

(1) Nicolai supplet ex Augustino de marito.

(2) Al. deest non.

(3) Nicolai debetur.

(4) Idem: quia te id quod vovisti, non modo etc.

(5) Al. qui.

Divisio textus.

Postquam determinavit Magister de bonis conjugii quibus actus matrimonialis excusatur; hic determinat de actu ipso secundum quod ulterius accipit rationem debiti per bona conjugii; et dividitur in partes duas: in prima ostendit quod uterque conjugum alteri debitum reddere tenetur; in secunda ostendit quod petitio debiti (1) propter solemnitatem temporis impeditur, ibi: *Et licet debitum poscenti semper sit solvendum, non licet tamen qualibet die poscere*. Prima in duas: in prima ostendit quod vir et uxor sunt aequales in debiti redditione; secundo probat quoddam quod supposuerat, ibi: *Quod vero sine consensu uxoris vir continere non valeat, subditis probatur testimoniis*.

Et licet debitum poscenti semper sit solvendum, non licet tamen qualibet die poscere. Hic determinat de temporibus in quibus actus matrimonii interdicitur; et circa hoc duo facit: primo ostendit quod aliquod tempus impedit petitionem debiti; secundo ostendit quod etiam aliquod impedit celebrationem nuptiarum, ibi: *Nec solum in opere carnali servanda sunt tempora, sed etiam in celebrandis nuptiis*. Circa primum duo facit: primo ostendit veritatem; secundo excludit quamdam objectionem, ibi: *Illi autem quod dictum est, reddere debitum non esse peccatum, videtur obviare quod ait Hieronymus*.

QUAESTIO I.

Hic quaeruntur quinque: 1.^o utrum uterque conjugum tenetur ex necessitate praecepti alteri debitum reddere semper; 2.^o utrum debeat aliquando reddere non poscenti; 3.^o utrum in redditione debiti vir et uxor sint aequales; 4.^o utrum unus sine consensu alterius possit votum emitte per quod impediatur redditio debiti; 5.^o utrum tempus impediatur redditionem debiti.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum alter conjugum tenetur alteri ad redditionem debiti ex necessitate praecepti.

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod alter conjugum non tenetur alteri ad redditionem debiti ex necessitate praecepti. Nullus enim prohibetur a sumptione eucharistiae propter hoc quod praeceptum implet. Sed ille qui uxori debitum reddit, non potest carnes agni edere, ut Hieronymus in littera dicit. Ergo reddere debitum non est de necessitate praecepti.

2. Praeterea, quilibet potest licite abstinere ab his quae sunt sibi nociva in persona. Sed aliquando reddere debitum poscenti esset nocivum personae vel ratione infirmitatis, vel ratione solutionis jam factae. Ergo videtur quod licite possit debitum poscenti negari.

3. Praeterea, quicumque facit se impotentem ad faciendum id ad quod ex praecepto tenetur, peccat. Si ergo aliquis ex necessitate praecepti tenetur ad reddendum debitum, videtur quod peccet si jejunando, vel alias corpus suum attenuando,

(1) Al. primi debiti.

impotentem se reddat ad debiti solutionem; quod non videtur verum.

4. Praeterea, matrimonium, secundum Philosophum (8 Ethic., cap. 14), ordinatur ad procreationem prolis et educationem, et iterum ad communicationem vitae. Sed lepra est contra utrumque matrimonii finem; quia cum sit morbus contagiosus, mulier leproso non tenetur cohabitare; similiter etiam morbus ille frequenter transmittitur ad prolem. Ergo videtur quod viro leproso uxor debitum reddere non tenetur.

Sed contra, sicut servus est in potestate domini sui, ita et unus conjugum in potestate alterius, ut patet 1 Corinth. 7. Sed servus tenetur ex necessitate praecepti domino suo debitum servitutis reddere, ut patet Rom. 15, 7: *Reddite omnibus debita: cui tributum etc.* Ergo et unus conjugum ex necessitate praecepti tenetur alteri reddere debitum.

Praeterea, matrimonium est ordinatum ad fornicationem vitandam, ut patet 1 Corinth. 7. Sed hoc non posset per matrimonium fieri, si unus alteri non teneretur debitum reddere, quando concupiscentia infestatur. Ergo reddere debitum est de necessitate praecepti.

Solutio. Respondeo dicendum, quod matrimonium est principaliter institutum in officium naturae; et ideo in actu eius considerandus est motus naturae, secundum quem nutritiva non ministrat generativae nisi id quod superfluit ad conservationem individui: quia hic est ordo naturalis ut prius aliquid in seipso perficiatur, et postmodum alteri de perfectione sua communicet: hoc etiam ordo caritatis habet, quae naturam perficit. Et ideo cum uxor in virum potestatem non habeat nisi quantum ad generativam virtutem, non autem quantum ad ea quae sunt ad conservationem individui ordinata, vir tenetur uxori reddere debitum in his quae ad generationem prolis spectant, salva tamen prius personae incoluntate.

Ad primum ergo dicendum, quod aliquis implens aliquod praeceptum potest reddi inhabilis ad aliquod officium sacrum exequendum, sicut iudex qui hominem ad mortem condemnat, praeceptum implens irregularis efficitur; et similiter etiam ille qui praeceptum implens, debitum solvit, redditur ineptus ad divina officia exequenda; non quod ille actus sit peccatum, sed ratione carnalitatis illius actus; et sic, secundum quod Magister dicit, Hieronymus loquitur tantum de ministris Ecclesiae, non autem de aliis qui sunt suo iudicio relinquendi: quia possunt et ex devotione dimittere, et sumere corpus Christi absque peccato.

Ad secundum dicendum, quod uxor non habet potestatem in corpus viri nisi salva consistentia personae ipsius, ut dictum est; unde si ultra exigat, non est petitio debiti, sed injusta exactio; et propter hoc vir non tenetur ei satisfacere.

Ad tertium dicendum, quod si aliquis reddatur impotens ad debitum solvendum ex causa ex matrimonio consecuta, puta cum prius debitum reddidit, et est impotens ad debitum solvendum ulterius, mulier non habet jus plus petendi, et in petendo ulterius se magis meretricem quam conjugem exhibet. Si autem reddatur impotens ex altera causa; si illa est licita, sic iterum non tenetur, nec potest mulier exigere: si non est, tunc peccat; et peccatum uxoris, si in fornicationem propter hoc

labatur, aliquo modo sibi imputatur; et ideo debet quantum potest operam dare ut uxor contineat.

Ad quartum dicendum, quod lepra solvit sponsalia, sed non matrimoniam; unde uxor etiam viro leproso tenetur reddere debitum, non tamen tenetur ei cohabitare: quia non ita cito inficitur ex coitu sicut ex frequenti cohabitatione; et quamvis proles generetur infirma, tamen melius est ei sic esse quam penitus non esse.

ARTICULUS II.

Utrum vir tenetur reddere debitum uxori non petenti.

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur quod vir non tenetur reddere debitum uxori non petenti. Praeceptum enim affirmativum non obligat nisi ad tempus determinatum. Sed tempus determinatum solutionis debiti non potest esse, nisi quando debitum petitur. Ergo alias solvere non tenetur.

2. Praeterea, de quolibet debemus praesumere meliora. Sed melius est etiam conjugibus confineri quam matrimonio uti. Ergo nisi expresse debitum petat, debet praesumere vir: quod ei placeat continere; et sic non tenetur ei debitum reddere.

3. Praeterea, sicut uxor habet potestatem in virum, ita dominus in servum. Sed servus non tenetur domino servire nisi quando ei a domino imperatur. Ergo nec vir uxori tenetur reddere debitum nisi quando ab ea exigitur.

4. Praeterea, vir potest aliquando uxorem exigentem precibus avertere ne exigit. Ergo multo magis potest non reddere, si non exigit.

Sed contra, per redditionem debiti medicamentum praestatur contra uxoris concupiscentiam. Sed medicus cui est infirmus aliquis commissus, tenetur morbo ejus subvenire, etiam si ipse non petat. Ergo vir uxori non petenti tenetur debitum reddere.

Praeterea, praelatus tenetur correctionis remedium contra peccatum subditorum adhibere, etiam ei contradicentibus. Sed redditio debiti in viro est ordinata contra peccata uxoris, Ergo tenetur vir debitum reddere quandoque etiam non petenti.

QUAESTUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur quod liceat mulieri menstruae debitum petere. Sicut enim in lege mulier menstrua erat immunda, ita et vir fluxum seminis patiens. Sed vir seminifluus potest debitum petere. Ergo pari ratione et mulier menstrua.

2. Item, major infirmitas est lepra quam passio menstruorum; et majorem, ut videtur, corruptionem causat in prole. Sed leprosa potest debitum petere. Ergo etc.

3. Item, si menstruae non licet petere debitum, hoc non est nisi ratione defectus qui timetur in prole. Sed si mulier sit sterilis, non timetur talis defectus. Ergo videtur quod saltem sterilis menstrua possit petere.

Sed contra, Levit. 18, 19: *Ad mulierem quae patitur menstruum, non accedes: ubi Augustinus (quaest. 64 in Levit.): Cum sufficienter prohibuisset, hic etiam repetit, ne forte in superioribus videretur figurative accipiendum.*

Item Isa. 64, 6: *Omnes justitiae vestrae quasi pannus menstruatae; ubi Hieronymus (immo super*

Ezech., cap. 18): *Tunc viri abstinere debent a mulieribus, quoniam concipiunt membris damnati, caeci, claudi, leprosi; ut quia parentes non erubuerunt in conclavi commisceri, eorum peccata pateant in cunctis, et aperti redarguantur in parvulis. Et sic idem quod prius.*

QUAESTUNCULA III.

Uterius. 1. Videtur quod mulier menstrua non debeat reddere debitum petenti. Levit. 20, dicitur quod si aliquis ad menstruatam accesserit, uterque morte est puniendus. Ergo videtur quod tam reddens quam exigens debitum mortaliter peccet.

2. Item, Rom. 1, 52: *Non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt, digni sunt morte*. Sed exigens debitum scienter a menstrua mortaliter peccat. Ergo et mulier consentiens ei in redditione debiti.

3. Item, furioso non est gladius reddendus, ne se vel alium interficiat. Ergo eadem ratione nec uxor tempore menstruorum debet viro corpus suum exponere, ne spiritualiter occidat.

Sed contra, 1 Corinth. 7, 4: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir*. Ergo petenti viro (1) mulier etiam menstrua debet debitum reddere.

Item, mulier menstrua non debet esse viro peccandi occasio. Sed si viro petenti debitum, debitum ipsa non redderet, etiam tempore menstruorum, esset viro peccandi occasio: quia forte fornicaretur. Ergo etc.

Solutio I. Respondeo dicendum ad primam quaestionem, quod petere debitum est dupliciter. Uno modo expresse, ut quando verbis invicem petunt. Alio modo est petitio debiti interpretata, quando scilicet vir percipit per aliqua signa quod uxor vellet sibi debitum reddi, sed propter verecundiam tacet; et ita etiam si non expresse verbis debitum petat, tamen vir tenetur reddere, quando expressa signa in uxore apparent voluntatis debiti reddendi.

Ad primum ergo dicendum, quod tempus determinatum non est solum quando petitur, sed quando timetur ex aliquibus signis periculum (ad quod vitandum ordinatur debiti redditio) nisi tunc reddatur.

Ad secundum dicendum, quod vir potest talem praesumptionem de uxore habere, quando in ea signa contraria non videt; sed quando videt, esset stulta praesumptio.

Ad tertium dicendum, quod dominus non ita verecundatur a servo petere debitum servitutis, sicut uxor a viro debitum conjugii. Si tamen dominus non peteret propter ignorantiam, vel alia de causa, nihilominus servus teneretur implere, si periculum immineret: hoc enim est non ad oculum servire, quod Apostolus servis mandat.

Ad quartum dicendum, quod non debet vir uxorem avertere ne petat debitum, nisi propter aliquam rationabilem causam; et tunc non debet cum magna instantia averti propter pericula imminencia.

Solutio II. Ad secundam quaestionem dicendum, quod accedere ad menstruatam in lege prohibuitur erat duplici ratione; tum propter immunditiam; tum propter nocuum quod in prole ex huiusmodi commixtione frequenter sequebatur. Et quo ad primum, praeceptum erat caeremoniale, sed quantum ad secundum erat morale: quia cum matrimonium

(1) Al. deest viro.

sit ad bonum prolis principaliter ordinatum, ordinatus (1) est omnis matrimonii usus quo bonum prolis impenditur; et ideo hoc praeeptum obligat etiam in nova lege propter secundam rationem, etsi non propter primam. Fluxus tamen menstruorum potest esse naturalis et innaturalis. Naturalis quidem, quando scilicet mulieres patiuntur temporibus determinatis, quando sunt sanae. Innaturalis autem quando inordinate et quasi continue ex aliqua infirmitate fluxus sanguinis patiuntur. In fluxu ergo menstruorum innaturali non est prohibendum ad mulierem menstruatam accedere in lege nova: tum propter infirmitatem, quia mulier in tali statu concipere non potest; tum quia talis fluxus est perpetuus et diuturnus; unde oporteret quod vir perpetuo abstineret. Sed quando naturaliter mulier patitur fluxus menstruorum, potest concipere; et iterum talis fluxus non durat nisi ad modicum tempus. Unde prohibitum est ad talein accedere; et similiter prohibitum est mulieri in tali fluxu debitum petere.

Ad primum ergo dicendum, quod fluxus seminis in viro ex infirmitate procedit, nec semen sic fluens est aptum ad generationem; et praeterea talis passio est diuturna vel perpetua, sicut lepra. Unde non est similis ratio.

Et per hoc solvitur etiam secundum.

Ad tertium dicendum, quod quamdiu mulier menstrua patitur, non potest esse certum eam esse sterilem. Quaedam enim in juventute sunt steriles, quae processu temporis sunt fecundae, et e converso, ut dicitur in 10 de Animalibus (sive de gener. Animal., cap. 3).

Solutio III. Ad tertiam quaestionem dicendum, quod circa hoc diserunt quidam, quod mulier menstrua sicut non debet petere debitum, ita nec reddere. Sicut enim non tenetur reddere si haberet infirmitatem in propria persona, ex qua periculum ei immineret; ita non tenetur reddere ad vitandum periculum prolis. Sed ista opinio videtur derogare matrimonio, per quod datur omnimoda potestas viro in corpus mulieris quantum ad matrimonialem actum. Nec est simile de infirmitate corporis prolis et periculo proprii corporis; quia si mulier infirmatur, certissimum est quod ex carnali actu periculum ei imminet; non autem ita certum est de prole, quae forte nulla sequetur. Et ideo alii dicunt, quod mulieri menstruae nunquam licet petere debitum. Si tamen vir ejus petat; aut petit scienter, et tunc debet eum avertere precibus et monitis, tamen non ita efficaciter ut possit ei esse occasio in alias damnabiles corruptelas, si ad id pronus credatur: aut ignoranter; et mulier potest aliquam occasionem praetendere, vel infirmitatem allegare, ne debitum reddat, nisi periculum viro timeatur. Tamen finaliter, si vir non desistit a petitione, debet debitum reddere possenti. Passionem vero suam non est tutum indicare, ne forte vir ex hoc ad eam abominationem concipiat, nisi de viri prudentia praesumatur.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc intelligendum est quando uterque voluntarie consentit; non autem si mulier involuntaria et quasi coacta debitum reddat.

Ad secundum dicendum, quod cum consensus non sit nisi voluntatis, non intelligitur mulier consentire peccato viri nisi voluntarie debitum red-

(1) Forte inordinatus, et infra impeditur.

dat: quando enim est involuntaria, magis patitur quam consentiat.

Ad tertium dicendum, quod gladius furiosus etiam esset reddendus quando majus periculum timeretur in non reddendo; et similiter est in proposito.

ARTICULUS III.

Utrum vir et mulier sint aequales in actu matrimonii.

Ad tertium sic proceditur. 1. Videtur quod vir et mulier non sicut in actu matrimonii aequales. Agens enim nobilior est patiente, ut Augustinus dicit, 12 super Gen. ad litteram, cap. 16. Sed in actu conjugali vir se habet ut agens, et femina ut patiens. Ergo non sunt in actu illo aequales.

2. Praeterea, uxor non tenetur viro debitum reddere nisi petat; vir autem tenetur uxori, ut dictum est. Ergo non sunt pares in actu matrimonii.

3. Praeterea, in matrimonio mulier propter virum facta est, ut patet Genes. 2, 18: *Fasiamus ei adiutorium simile sibi*. Sed illud propter quod est alterum, semper est principalis. Ergo etc.

4. Praeterea, matrimonium principaliter ordinatur ad actum conjugalem. Sed in matrimonio vir est caput mulieris, ut patet 1 Corinth., 11. Ergo non sunt aequales in actu praedicto.

Sed contra est quod dicitur 1 Corinth. 7, 4: *Vir non habet potestatem sui corporis; et simile de uxore dicit. Ergo non sunt aequales in actu matrimonii.*

Praeterea, matrimonium est relatio aequiparantiae, cum sit conjunctio, ut dictum est. Ergo vir et uxor sunt aequales in actu matrimonii.

Solutio. Respondeo dicendum, quod duplex est aequalitas; scilicet quantitatis, et proportionis. Aequalitas quidem quantitatis est quae attenditur inter duas quantitates ejusdem mensurae, sicut bicubitum ad bicubitum; sed aequalitas proportionis est quae attenditur inter duas proportionales ejusdem speciei, sicut dupli ad duplum. Loquendo ergo de prima aequalitate, vir et uxor non sunt aequales in matrimonio neque quantum ad actum conjugalem, in quo id quod nobilior est, viro debetur; neque quantum ad domus dispensationem, in qua uxor regitur, et vir regit. Sed quantum ad secundam aequalitatem sunt aequales in utroque: quia sicut tenetur vir uxori in actu conjugali et dispensatione domus ad id quod viri est, ita uxor viro ad id quod uxoris est; et secundum hoc dicitur in littera, quod sunt aequales in reddendo et petendo debitum.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis agere sit nobilior quam pati; tamen eadem est proportio patientis ad patientem, et agentis ad agentem; et secundum hoc est ibi aequalitas proportionis.

Ad secundum dicendum, quod hoc est per accidens. Vir enim quia nobiliorem partem habet in actu conjugali, naturaliter habet quod non ita erubescat petere debitum sicut uxor; et inde est quod uxor non ita tenetur reddere debitum non petenti viro, sicut vir uxori.

Ad tertium dicendum, quod ex hoc ostenditur quod non sunt aequales absolute; non autem quod non sunt aequales secundum proportionem.

Ad quartum dicendum, quod quamvis caput sit principalis membrum; tamen sicut membra tenentur capiti in officio suo, ita caput membris in suo; et sic est ibi aequalitas proportionis.

ARTICULUS IV.

Utrum vir et uxor possint votum emittere contra debitum matrimonii sine mutuo consensu.

Ad quartum sic proceditur. 1. Videtur quod vir et uxor possint votum emittere contra debitum matrimonii sine mutuo consensu. Vir enim et uxor aequaliter obligantur ad debiti solutionem, ut dictum est. Sed licitum est viro, uxore etiam prohibente (1), accipere erucem in subsidium terrae sanctae. Ergo hoc etiam est licitum uxori; et ideo, cum per hoc votum debiti (2) redditio impediatur, potest alter conjugum sine consensu alterius votum praedictum emittere.

2. Praeterea, non est expectandum in aliquo voto consensus alterius qui non potest sine peccato dissentire. Sed unus conjugum non potest sine peccato dissentire quin alter continentiam voveat, vel simpliciter vel ad tempus; quia impedire profectum spirituales est peccatum in Spiritu sanctum. Ergo unus potest votum continentiae simpliciter vel ad tempus sine consensu alterius vovere.

3. Praeterea, sicut in actu matrimonii requiritur debiti redditio, ita debiti petitio. Sed unus potest sine consensu alterius vovere quod debitum non petat, cum in hoc sit suae potestatis. Ergo pari ratione quod debitum non reddat.

4. Praeterea, nullus potest ex praeepto superioris cogi ad id quod non licet sibi simpliciter vovere et facere; quia in illicitis non est obediendum. Sed praelatus superior posset praecipere viro ut uxori ad tempus debitum non redderet, occupando eum in aliquo servitio. Ergo hoc etiam ipse posset per se facere et vovere, per quod a debiti redditione impediatur.

Sed contra est quod dicitur 1 Corinth. 7, 5: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex communi consensu, ut vacetis orationi.*

Praeterea, nullus potest facere votum de alieno. Sed vir non habet potestatem sui corporis, sed uxor. Ergo sine eius consensu non potest votum facere continentiae, vel simpliciter, vel ad tempus.

Solutio. Respondeo dicendum, quod vovere voluntatis est, ut etiam ipsum nomen ostendit; unde de illis tantum bonis potest esse votum quae nostrae subjacent voluntati, qualia non sunt ea in quibus unus alteri tenetur; et ideo in talibus non potest aliquis votum emittere sine consensu ejus cui tenetur. Unde cum conjuges sibi invicem teneantur in redditione debiti, ut dictum est, per quod continentia impeditur; non potest unus absque consensu alterius continentiam vovere; et si voverit, peccat, nec debet servare votum; sed agere poenitentiam de malo voto facto.

Ad primum ergo dicendum, quod satis probabile est quod uxor debet velle continere ad tempus pro subveniundo necessitati Ecclesiae generalis;

(1) Al. etiam viro uxore prohibente.

(2) Al. deest debiti.

et ideo in favorem negotii pro quo crux sibi datur, institutum est quod vir possit absque consensu uxoris erucem accipere, sicut etiam posset domino suo terreno a quo feudum tenet, absque ejus consensu militare. Nec tamen in hoc omnino subtrahitur mulieri jus suum; quia uxor potest eum sequi. Nec est simile de uxore ad virum; quia cum vir debeat regere uxorem, et non e converso; magis tenetur uxor sequi virum quam e converso. Et praeterea uxor cum majori periculo castitatis discurreret per terras quam vir, et cum minori Ecclesiae utilitate; et ideo uxor non potest hujusmodi votum facere sine viri consensu.

Ad secundum dicendum, quod alter conjugum dissentiens voto continentiae alterius, non dissentit ut bonum illius impediatur, sed ne sibi praedictum generetur.

Ad tertium dicendum, quod circa hoc est duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod unus absque consensu alterius potest vovere quod non petat debitum, non autem quod non reddat; quia in primo est uterque sui juris, sed non in secundo. Sed quia si alter nunquam peteret debitum, ex hoc alteri matrimonium onerosum redderetur, dum oporteret unum semper confusionem debiti petendi subire; ideo alii probabilius dicunt, quod neutrum potest unus absque consensu alterius vovere.

Ad quartum dicendum, quod sicut mulier accipit potestatem in corpus viri, salvo hoc in quo vir tenetur corpori suo; ita etiam salvo hoc in quo alii domino tenetur; et ideo sicut uxor non potest petere debitum a viro contra solutum corporis sui, ita nec ad impediendum hoc in quo domino tenetur. Sed praeter hoc non potest dominus prohibere quin debitum reddat.

ARTICULUS V.

Utrum temporibus sacris debeat aliquis impediri quin debitum petat.

Ad quintum sic proceditur. 1. Videtur quod temporibus sacris non debeat aliquis impediri quin debitum petat. Tunc enim est subveniendum morbo dum invalescit. Sed possibile est quod in die festo invalescat concupiscentia. Ergo tunc debet ei subveniri per petitionem debiti.

2. Praeterea, non est alia ratio quare non sit petendum debitum in diebus festis, nisi quia sunt orationi deputati. Sed in illis diebus sunt horae determinatae orationi. Ergo aliis horis licet petere debitum.

Sed contra, sicut aliqua loca sunt sacra, quia deputata sunt sacris, ita aliqua tempora sunt sacra propter eandem rationem. Sed in loco sacro non licet petere debitum. Ergo nec in tempore sacro.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur quod petens in tempore sacro mortaliter peccat. Gregorius enim dicit in 1 Dial. (cap. 10), quod mulier quae in nocte cognita est a viro, mane ad proessionem veniens, a diabolo est arrepta. Sed hoc non esset, nisi mortaliter peccasset. Ergo etc.

2. Praeterea, quicumque facit contra praeeptum

divinum, mortaliter peccat. Sed Dominus praecipit, Exod. 19, 15: *Nolite appropinquare uxorb; vestris*, quando scilicet erant legem accepturi. Ergo multo magis peccat mortaliter, si tempore quo sacramentis novae legis intendendum est, uxorb; viri commisceantur.

Sed contra, nulla circumstantia aggravat in infinitum. Sed tempus indebitum est circumstantia quaedam. Ergo non aggravat in infinitum, quod faciat mortale quod alias esset veniale.

QUAESTIUNCULA III.

Uterius. I. Videtur quod non tenetur reddere tempore festivo. Quia peccantes et consentientes pariter puniuntur, ut patet Rom. 2. Sed ille qui reddit debent, consentit petenti, qui peccat. Ergo et ipse peccat.

2. Praeterea, ex praecipito affirmativo obligamur ad orandum; et ita ad aliquod tempus determinatum. Ergo pro tempore illo in quo quis orare tenetur, debitum reddere non debet, sicut nec eo tempore quo tenetur temporalis domino ad speciale obsequium.

Sed contra est quod dicitur 1 Corinth. 7, 3: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi*. Ergo quando peti, reddendum est ei.

QUAESTIUNCULA IV.

Uterius. I. Videtur quod nuptiae non sint interdicendae temporibus in littera determinatis. Quia matrimonium sacramentum est. Sed in illis temporibus non interdicitur celebratio aliorum sacramentorum. Ergo nec celebratio matrimonii.

2. Praeterea, magis incompetens est diebus festis petiio debiti quam celebratio nuptiarum. Sed in diebus illis potest debitum peti. Ergo et nuptiae celebrari.

5. Praeterea, matrimonia quae fiunt contra statum Ecclesiae, debent separari. Sed non separantur, si fiant nuptiae in talibus temporibus. Ergo non debet esse prohibitum per Ecclesiae statuta.

Sed contra est quod dicitur Eccl. 5, 3: *Tempus amplectendi, et tempus longe fieri ab amplectibus*.

Solutio I. Respondeo dicendum ad primam quaestionem, quod actus matrimonialis quamvis culpa careat, tamen, quia rationem deprimit propter carnalem delectationem, hominem reddit ineptum ad spiritualia; et ideo in diebus in quibus praecipue spiritualibus est vacandum, non licet petere debitum.

Ad primum ergo dicendum, quod tempore illo possunt alia adhiberi ad concupiscentiam reprimendam, sicut oratio, et multa alia hujusmodi; quae etiam illi adhibent qui perpetuo continent.

Ad secundum dicendum, quod quamvis non teneatur omnibus horis orare, tamen tenetur tota die se conservare idoneum ad orandum.

Solutio II. Ad secundam quaestionem dicendum, quod petere debitum in die festivo non est circumstantia trahens ad aliam speciem peccati; unde non potest in infinitum aggravare; et ideo non peccat mortaliter uxorem vel virum, si in die festivo debitum petat. Sed tamen gravius est peccatum si sola delectationis causa petatur, quam si pro-

pter timorem quo quis sibi timet de lubrico carnis, sibi debitum petat.

Ad primum ergo dicendum, quod non fuit punita mulier illa propter hoc quod debitum reddidit; sed quia postmodum se temere ad divina ingressit contra conscientiam.

Ad secundum dicendum, quod ex auctoritate illa non potest probari quod sit peccatum mortale, sed quod sit incongruum. Multa enim ad munditias carnis pertinentia exigebantur de necessitate praecipiti in veteri lege, quae carnalibus dabatur, quae non exiguntur in nova lege, quae est lex spiritus.

Solutio III. Ad tertiam quaestionem dicendum, quod cum mulier habeat potestatem in corpus viri quantum ad actum generationis spectat, et e converso; tenetur unus alteri debitum reddere quocumque tempore et quocumque hora, salva debita honestate, quae in talibus exigitur; quia non oportet quod statim in publico debitum reddat.

Ad primum ergo dicendum, quod ille, quantum in se est, non consentit, sed id quod ab eo exigitur, invitatus et cum dolore reddit; hoc enim est propter lubricum carnis divinitus ordinatum ut semper petenti debitum reddatur, ne aliqua occasio peccandi detur.

Ad secundum dicendum, quod non est aliqua hora ita determinata ab orandum quin possit postea recompensari in aliis horis; et ideo obiectio illa non cogit.

Solutio IV. Ad quartam quaestionem dicendum, quod quando novae sponsae traduntur, animus conjugum magis ex ipsa novitate ad curam carnalium occupatur. et ideo in nuptiis consueverunt signa multa laetitiae dissolutae ostendi; et propter hoc illis temporibus in quibus homines praecipue debent se ad spiritualia elevare, prohibitum est nuptias celebrari.

Hoc autem est ab Adventu usque ad Epiphaniam propter communionem, quae secundum antiquos canones in Nativitate fieri convenienter solet; et a Septuagesima usque ad octavas Paschae, propter communionem paschalem; et a tribus diebus ante Ascensionem usque ad octavas Pentecostes, propter praeparationem ad communionem illo tempore sumendam.

Ad primum ergo dicendum, quod celebratio matrimonii habet aliquam mundanam laetitiam et carnalem adjunetam, quod non est de aliis sacramentis; et ideo non est simile.

Ad secundum dicendum, quod non fit tanta distractio animorum in redditione vel petitione debiti, sicut in celebratione nuptiarum; et ideo non est simile.

Ad tertium dicendum, quod cum tempus non sit de essentia matrimonii, si in tempore indebito contrahatur, nihilominus verum est sacramentum: nec separatur matrimonium simpliciter, sed ad tempus, ut poenitentiam agant de hoc quod statutum Ecclesiae sunt transgressi; et sic est intelligendum quod Magister dicit.

Expositio textus.

Si prius promiserit, et postea prohibuerit, etc. Videtur ex hoc quod vir possit revocare uxorem ad se, etiam si de licentia sua castitatem vocit. — Et dicendum, quod verbum Augustini intelligitur,

quando vir dissimulavit ante plenam deliberationem, quae quidem dissimulatio quidam consensus videtur. Si autem expresse consensisset, non posset votum revocare. Unde loquitur quantum ad iudicium Ecclesiae, quando promissio non potest pro-

bari. Unde propter periculum talia vota occultata non sunt approbanda.

Nec carnes agui edere. De impedimento sumptionis eucharistiae propter carnalem delectationem in somno, supra, dist. 9, dictum est.

DISTINCTIO XXXIII.

De diversis conjugii legibus.

Quaeritur hic de antiquis patribus, qui plures simul leguntur habuisse uxores vel concubinas, utrum peccaverint. Ad quod dicimus, quod pro varietate temporum varia invenitur dispensatio. Conditur. Ab exordio enim temporis inter duos tantum, Adam scilicet et Evam, inchoatum est conjugium. Deo per eos. Adae dicente (Gen. 2, 24): « Homo adhuc » rehit uxori suae, et erunt duo in carne una; » et secundum inchoationis modum inter duos tantum per omnem successione temporum contraheretur conjugium, si primi homines in obedientia persistissent. Post eorum vero copulam, filii et filiae eorum matrimonio conjuncti sunt, sed unus uni tantum. Ideo autem fratres sororibus sunt copulati, quia non erant aliae mulieres vel viri, quibus Adae filii vel filiae jungerentur. Primus omnium Lamech. Dux legitur simul habuisse uxores; et hoc in eo arguitur, quia pro explatione carnis voluptatis id fecisse perhibetur. Postea vero, cum jam bene omnes homines fassis dis servient, paucis in cultu Dei permanentibus, consultum est a Deo plures in matrimonio sibi copulare, ne iis paucis deficientibus, cultus et Dei nolitia deficeret. Unde Abraham vivente uxore ad ancillam intravit, et ex ea genuit; Jacob etiam liberis et ancillis se copulavit; et filiae Loth patre ebrio usae sunt. Cum enim ceteris in idolatria relictis, Abraham et filios eius in peculiarem populum sibi Dominus elegisset, rite multarum fecunditate mulierum, populi Dei multiplicatio quaeratur, quia in successione sanguinis erat successio religionis. Unde etiam in lege maledicta erat sterilitas, quod non relinquebat semen super terram. Hinc etiam sacerdotibus conjugia decreta sunt, quia in successione familiae successio est officii. Non ergo Abraham vel Jacob deliquit, quia praeter uxorem filios ex ancilla quaesivit; nec illorum exemplo praeter conjugale debitum fecunditatem in aliqua lege alicui quaerere; cum illorum conjugia nostrorum sequentur virginitatis, et immoderatus usus conjugii nostri temporis turpitudinem fere imitetur fornicationis illius temporis. De hoc Augustinus (4) sic ait: « Antiquis iustis non fuit peccatum quod plurius » feminis utebantur, nec contra naturam hoc faciebant, cum » non lasciviendi causa, sed genuendi, hoc facerent; nec contra » tra morem, quia eo tempore ea fiebant; nec contra praeci- » ceptum, quia nulla lege erat prohibitum. » Idem (ibid.): « Objicuntur Jacob quatuor uxores; quod quando mos erat, » crimen non erat. Sic enim Patriarchae (2) conjugibus ex- » cipiebant semen suum miscabant; non concupiscentia » perniciosa voluptatis, sed providentia propagandae suc- » cessionis, sicut Apostoli auditoribus suis admirantibus de- » trinum suum condelectabantur, non aviditate consequen- » dae laudis, sed caritate seminandae veritatis. » Idem (ibid., de bono Conjug., cap. 15): « Antiquis temporibus, cum adhuc » salutis nostrae mysterium velaretur, justo officio propagandi » nuptias contrahabant, non victi libidine, sed ducti pietate; » qui multo facilius continere possent, et vellent. Utebantur » tamen conjugibus, et plures uno viro habere licebat, quas » castitas habebat quam nunc unam quilibet istorum, in qui- » bus videmus quod secundum veniam concedit Apostolus. » Habebant enim eas in opere generandi, non in morbo desi- » derii. » Item Ambrosius (3): « Dixit Sara ad Abraham (Gen. » 16, 2): Ecce conclusit me Dominus, et non parum. Intra » ergo ad ancillam meam, et filium facias ex ea. Et ita fa- » ctum est. Considera primum, quod Abraham ante legem » Moysi et ante Evangelium fuit. Non ergo in legem com- » misit Abraham, sed legem praeventit; nondum enim inter- » dictum videbatur. Secundo considera, quod non ardore » aliquo vagae successus libidinis, non petulantis formae »

« captus decore, ancillae contubernio conjugalem posthabuit » torum, sed studio quaerendae posteritatis, et propagandae » sobolis. Adhuc post diluvium raritas erat humani generis, » erat etiam religio. Denique et Loth sancti hanc filiae, » causam quaerendae posteritatis habuerunt, ne genus de- » fieret humanum; et ideo publici muneris gratia privatum » culpam praetexit. » Item Augustinus (de bono Conjug., » cap. 15): « Justus, quamvis cupiat dissolvi et esse cum Chri- » sto, tamen sumit alimentum non cupiditate vivendi, sed » officio consulendi, ut maneat quod necessarium est pro- » pter alios. Sic miseri feminis iure nuptiarum, officiosum » fuit sanctis viris, non libidiniosum. Quod enim est eis » ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem humani » generis; et utrumque non est sine delectatione carnis; » quae tamen modificata, et refrigente (1) temperantia in » usum naturalem redacta, libido esse non potest. Quod » autem in sustentando vitam illicitus est eis, hoc est in » quaerenda prele fornicarius vel illicitus concubitus; et » quod est in eis licito immoderato appetitu, hoc est in » conjugibus venalis ille concubitus. »

Non praefertur virginitas Joannis castitatis Abrahae.

Quod vero castitas virginalis non praefertur in merito conjugali castitati Abrahae, Augustinus ostendit (de bono Conjugali, cap. 21), inquiens: « Sicut non est impar meritum » patenticiae in Petro qui passus est, et in Joanne qui pas- » sus non est; sic non est impar meritum continentiae in » Joanne qui nullas uxores et nuptias, et in Abraham » qui filios genuit. Nam illius castitatis et istius concubitus » pro temporum distributione (2) Christo millaverunt; sed » continentiam Joannes in opere, Abraham in solo habebat » habito. Melior est autem castitas caelibum quam nuptia- » rum; quarum unam Abraham habebat in usu, ambas in » habito; caste enim et conjugaliter vivit. Esse autem castus » sine conjugio potest, sed tunc non oportuit. » Item Hierony- » nymus (3): « Quis ignoret sub altera (4) dispensatione Dei » omnes retro sanctos ejusdem fuisse meriti, cujus nunc » Christiani sunt (5)? Quomodo Abraham ante placuit in » conjugio, sic nunc virgines placent in castitate. Servit » ille legi et tempore suo; serviamus et nos legi et tempori » nostro, in quos fines saeculorum devenerunt. » Ex his apparat quod sancti patres ante legem sine peccato plures haberent uxores vel concubinas. Eas enim nunc uxores appellat Scriptura, nunc concubinas. Rachel tamen et Lia ambae uxores fuerunt, non concubinae.

Oppositio.

Si quis opponat, quod fides tori non servabatur illi patres; dicimus, in hoc servasse fidem tori, quia non alius, sed propriis uxorb; vel ancillis misceretur. Ecce quae fuerit consuetudo in hac re ante legem (6). Legis vero tempore interdidit Moyses carnalem copulam fieri cum matre, cum noverca, cum sorore, cum nepte, cum amita, cum matertera, cum nura, et aliis quibusdam (Levit. 18 et 20). Permisit autem (Deuter. 24), divortium fieri dato libello repudiij, in quo vir ponebat causas pro quibus uxorem repudiabat. Permisit autem aliam ducere dato priori libello; quod propter duritiam cordis eorum permissum Christus dicit, non ad conce-

(1) Al. et refrenata.

(2) Al. per temporum distributionem.

(3) Lib. 2 contra Jovinianum, cap. 5, et refertur in Deer. causa 55, quaest. 4, cap. Quis ignoret (Ex edit. P. Nicolai).

(4) Al. sub alta.

(5) Nicolai mittit Christiani sunt.

(6) Ex his quae sequuntur, Nicolai speciale instituit paragraphum hoc praemissio titulo: Quae fuerit legalis conjugii consuetudo.

(1) Lib. 22 contra Faustum, cap. 47 (Ex edit. P. Nicolai).

(2) Al. si Patriarchae.

(3) Lib. 1 de Abraham, cap. 4. Refertur in Decretis causa 52, quaest. 4, cap. Dixit (Ex edit. P. Nicolai).

S. Th. Opera omnia. V. 7.